



## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones  
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

Vtrum electio sit actus voluntatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

eam simpliciter velle: sed solum ea intendere dicitur, quando aliquid propter sanitatem vult. & ideo concedendum est, quod intentio non sit alius actus numero, quam voluntas.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod quamuis unus actus non possit esse bonus & malus, tamen alicuius actus mali potest esse aliqua circumstantia bona: sicut actus vitiosus est, si quis comedat plus quam debet, licet comedat quando debet. & ita voluntas, qua quis vult furari, ut paucat pauperes est actus malus simpliciter, habens tamen aliquam circumstantiam bonam propter quod enim ponit una de circumstantiis.

AD II. Dicendum, quod verbum Philos. est intelligendum, quando sicutur in medio, quando, n. per medium transitur ad terminum, tunc est unus numero motus. & ita quando voluntas mouetur id id, quod est ad finem cum ordine ad finem, est unus motus.

AD III. Dicendum, quod quoniam conclusio & principium considerantur utrumque per se, sunt diuersae considerationes: sed quando consideratur principium in ordine ad conclusionem, est eadem consideratio utriusque, sicut fit in syllogismo.

AD IIII. Dicendum, quod finis & id, quod est ad finem sunt unum obiectum, in quantum consideratur unum in ordine ad aliud.

ARTICVLVS XV.  
Verum electio sit actus voluntatis.

QVINTODECIMO queritur, utrum electio sit actus voluntatis, & videtur quod non; sed rationis: ignorantia enim non est voluntatis; sed rationis: sed perueritas electionis ignorantia que dam est, unde omnis malus dicitur esse ignorans ignorantia electionis, ut patet in 3. Eth. ergo & electio rationis est.

¶ 2. Præter. Sicut ad rationem pertinet inquisitio & argumentatio, ita conclusio; sed electio est quasi quedam conclusio consilij, ut patet in 3. & 7. Eth. cum ergo consilium sit ratio, & electio similiter rationis erit.

¶ 3. Præter. Secundum Phil. in 8. Eth. principalitas virtutis moralis in electione consistit: sed sicut ipse dicit in 6. Eth. id, quod est prudentia in virtutibus moralibus est principale, quod formaliter complet rationem virtutis, ergo electio pertinet ad prudentiam: sed prudentia est in ratione, ergo & electio.

¶ 4. Præter. Electio discretionem quandam importat: sed discernere rationis est, ergo & eligere.

SED CONTRA est, quod eligere est duobus, propositis unum alteri præoptare, ut patet per Dam. sed optare est actus voluntatis & non rationis, ergo & eligere.

¶ 2. Præter. Philos. dicit in 3. Eth. quod electio est desiderium præconcordatum: sed desiderium est voluntatis, & non rationis, ergo & electio.

RESPON. Dicendum, quod electio habet in se aliquid voluntatis, & aliquid rationis: utrum autem sit actus proprie voluntatis, vel rationis, Philos. videtur relinquere sub dubio in 6. Eth. ubi dicit, quod electio vel est appetitus intellectui, i. appetitus in ordine ad intellectum, vel intellectus appetitui, i. intellectus in ordine ad appetitum, primum autem verus est, si quod sit actus voluntatis in ordine ad rationem. Quod enim sit directe actus voluntatis patet ex duobus, primo ex ratione obiecti; quia proprium obiectum electionis est id, quod est ad finem, quod pertinet ad rationem boni, quod est obiectum voluntatis, nam bonum est finis, ut honestum vel delectabile, & quod est ad finem, ut utile. Secundo, ex ratio-

ne ipsius actus. Electio enim est ultima acceptio, qua aliquid accipitur ad prosequendum: quod quidem non est rationis, sed voluntatis. nam quantumcunque ratio unum alteri præferat, nondum est unum alteri præacceptatum ad operandum, quousque voluntas inclinatur in unum magis quam in aliud, non enim voluntas de necessitate sequitur rationem. Est tamen electio actus voluntatis non absolute, sed in ordine ad rationem, eo quod in electione apparet id, quod est proprium rationis, scilicet conferre unum alteri, vel præferre; quod quidem in actu voluntatis inuenitur ex impressione rationis, in quantum. Si ipsa ratio proponit voluntati aliquid, non ut utile simpliciter, sed ut utile ad finem. Sic ergo patet, quod voluntatis actus est vel le, & intendere: sed velle prout ratio proponit voluntati aliquid bonum absolute, siue sit propter se eligendum, ut finis, siue propter aliud, ut quod est ad finem, utrumque enim velle dicitur: sed eligere est actus voluntatis secundum quod & ratio proponit ei bonum, ut vtilius ad finem intendere vero secundum quod ratio proponit ei bonum ut finem consequendum ex eo, quod est ad finem.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod ignorantia electioni attribuitur quantum ad id, quod habet de ratione.

AD II. Dicendum, quod practice inquisitionis est duplex conclusio, una, que est in ratione, scilicet sententia, que est iudicium de consiliatis. Alia vero que est in voluntate & huiusmodi est electio. & est conclusio per quandam similitudinem, quia sicut in speculatiuis ultimo statuitur in conclusione: ita in operatiuis ultimo statuitur in operatione.

AD III. Dicendum, quod electio dicitur esse principale in virtute morali, & ex parte eius quod habet de ratione, & ex parte eius quod habet de voluntate, utrumque enim requiritur ad rationem virtutis moralis, & dicitur electio principale respectu exteriorum actuum, unde non oportet, quod electio sit actus prudentie totaliter: sed participat aliquid prudentie sicut & rationis.

AD IIII. Dicendum, quod discretio inuenitur in electione secundum quod pertinet ad rationem, cuius proprietatem sequitur voluntas in eligendo.

QVAESTIO XXIII.

De voluntate Dei.

In octo articulos diuisa.

¶ Primo queritur, utrum Deo competat habere voluntatem.

¶ Secundo, Vtrum voluntas diuina possit distinguari per antecedens, & consequens.

¶ Tertio, Vtrum voluntas diuina conuenienter diuidatur per voluntatem beneplaciti, & voluntatem signi.

¶ Quarto, Vtrum Deus de necessitate velit quicquid vult.

¶ Quinto, Vtrum diuina voluntas rebus uolitis necessitatem imponat.

¶ Sexto, Vtrum iustitia in rebus creatis dependeat ex simplici diuina voluntate.

¶ Septimo, Vtrum teneamur conformare voluntatem nostram voluntati diuina.

¶ Octauo, Vtrum teneamur conformare voluntatem nostram voluntati diuina in nolito, ut scilicet teneamur velle hoc, quod scimus Deum velle.

Quest. dis. S. Tho. III 3 ARTI.